Profecki Gabrielis: Quaestio physica de anima rationali in statu unionis.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO PHYSICA, DE ANIMA RATIONALI, In Statu Vnionis.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris & Reuerendissimi Domini,

D. M. SAMVELIS FORMANKOWIC,

J.V. DOCTORIS & PROFESSORIS; Protonotarij Apostolici; Ecclesiarûm, Cathedralis Cracou: CANONICI, Collegiatæ SS. Omnium CVSTODIS, Coniusiensis Curati; Contuberniorum Iuridici & Iagelloniani PROVISORIS; Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, GENERALIS & VIGILANTISSIMI RECTORIS.

A

M. GABRIELE PROFECKI,

Philosophiæ Doctore, ac intereà SCHOLÆ RHETORICES *in Collegio Nouoduorsciano Professore,*

Pro Collegio Minori,

Publicè ad Disputandum,

In Peraugusto DD. Theologorûm Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Instauratæ humanæ Salutis, per Vnionem Naturæ Diuinæ cum humana, 1687. Die 21 Mensis Martij.

CRACOVIÆ, Typis Uniuersitatis.

Sine originali confusione,
Creando infusæ, infundendo Creatæ,
Ad imaginem & similitudinem D E I
Perfectissimæ Creaturæ.
Omniûm Creaturarûm indiuidualem perfectionem supergressæ;
Soli Supremo Enti subalternatæ:
Absq; priuatiui Accidentis mistura,
Simplicissimæ SUBSTANTIÆ.
à productione sui,
(Ut SS. Patrum sensus approbat)
Visione Entis Entiûm fruenti,
Corporis purissimi MOTRICI;
Cordis humillimi,
Ex quo Sanguinem purissimum in purpuram humanitatis assumptæ
INCARNATUM VERBUM deriuauit,
SANCTISSIMÆ INHABITATRICI.
GRATIA DEI plenæ.
Characteribus Virginitatis integerrimæ,
& MATERNITATIS DEI;
indelebilitèr insignitæ.
Contactu Diuinitatis in Incarnatione DEI,
ineffabilitèr sanctificatæ.
Super montana Iudææ Magnificanti Dominum ANCILLÆ,
Et exultanti in D E O *salutari suo.*
Conseruanti omnia Verba in ARCHIVO CORDIS,
quæ de PRIMOGENITO DEI dicebantur.
Supra montem CALVARIÆ,
Anima Deificata, de corpore Lanceato egrediente
Gladio Doloris transfixæ.
Post quindecim verò Olympiades ad amussim Diuinæ legis
Cursûs consummati;
è Corpore Virgineo, in DOMINO obdormiente felicissimè egressæ;
Et Lumine gloriæ, in consortio Animarûm Sanctarûm delibato;
Post trium dierûm Vigilias,
Virtute Viuificantis omnia:
Ad Corpus illud, nulli obnoxium corruptioni,
cum Gloria Resurrectionis regressæ;
& continuò MOTORIS PRIMI opere triumphali,
delegato Spirituûm Cælestiûm ministerio,
in Cælum Empyreum Assumptæ;
Supra omnem Ordinûm & Animarûm in Regno Gloriæ eminentiam,
à DEXTRIS DEI-HOMINIS collocatæ.
Immediatè post Deificatam Animam
Inter DEVM *& Animas confitentes*
MEDIATRICI.
Sponsi Cælestis Turturi, & lotæ lacte Columbæ;
Seraphim & Cherubim GERMANÆ;
Angelorûm DELICIO;
Glorificatarûm PVPILLÆ;
Innocentiûm PARADISO;
Sanctarum SANCTVARIO;
Castarûm ARÆ, & CORONÆ;
Periclitantiûm SIDERI & ANCHORÆ;
Pænitentiûm IVBILEO;
Vniuersarûm REGINÆ ANIMARVM.
Animasticæ Facultatis DECANÆ;
***BEATÆ** per omnes Generationes,*
Virginis & Matris DEI,
Sanctissimæ ANIMÆ.
Eas de Anima Rationali; Substantia simplici;
immediatè, à DEO per creationem producta. Assertiones;
Publicæ animorum velitationi exponentis,
Æternum mancipata & militans Anima
Velut Stipendiarium censum.
DAT, DONAT, DEDICAT.

M. G. P.

QVÆSTIO PHYSICA.

VTrum Anima Rationalis, quæ est Substantia simplex; à solo Deo immediatè, per creationem producta; ipsa sola duntaxàt in vno viuente, & non plures: cum reliquis, vniûs Speciei, sit æqualîs perfectionîs, necne?

CONCLUSIO I.

Anima rationalis est substantia simplex.

COROLLARIA.

I. Tota Entitas Animæ rationalis, est purè spiritualis.

II. Anima rationalis, non existit communicabilitèr ad corpus, ita; vt per talem communicationem, habeat esse à corpore.

III. Etsi Anima Rationalis, sit subiectum actuûm & habituûm suorûm; tamen non est composita Substantialitèr.

IV. Animam rationalem asserere, componi, vt & alias res; etsi quidèm non ex materia sensibili, vt illæ; sed ex alia quadam materia insensibili, seu receptiuò spirituali, stare non potest.

V. Multiplicari formam purè spiritualem, ad multiplicationem corporîs ita; vt dispositiones eiùs, sint tantùm quasi occasiones quædam, ad creationem ipsiûs, simplicitati eius non obest.

CONCLUSIO II.

ANima rationalis, producitur à solo Deo immediatè, per Creationem.

COROLLARIA.

I. Opiniones veterûm de Anima Rationali, asserentiûm, eam fieri ab Anima, sicut Corpus à Corpore; item tenentiûm eam transmigrare de corpore in corpus, proindè multo tempore eam ante creationem extitisse, erroneæ sunt.

II. Anima Rationalis, non producitur à Virtute seminali; neq; ab aliquo agente naturali.

III. Angeli, non concurrunt ad Creationem Animæ Rationalis.

IV. Homo etsi causa hominis est; non tamen ideò quod attingat productionem Animæ: sed compositi.

V. Anima Rationalis, non præcedit Corpus; hoc est, non creatur ante vltimam dispositionem corporîs, ad eius Vnionem requisitam.

CONCLUSIO III.

ANima rationalis, est ipsa sola duntaxàt in Uno Viuente, ſ homine; non plures.

COROLLARIA.

I. *Functiones Animæ Rationalis, per diuersa Organa, totiûs humani corporîs diuersæ; vnitatem eiusdem in corpore humano non tollunt.*

II. *Ab Vna Anima Rationali prouenit; quod homo intelligat, amet, & irascatur.*

III. *Dicere: quod homo, priùs Viuat Vitâ Vegetatiuâ, postea Sensitiuâ, tandèm rationali; probabilitas, non certitudo oppositæ sententiæ est.*

IV. *Fetus humanus, sola tantùm Anima intellectiua ab initio statim informatur: quamuîs non statim operationes Animæ intellectiuæ proprias exerceat.*

V. *Etsi Anima Rationalis, secundùm quasi suas rationes genericas considerata; est formalitèr Vegetatiua & Sensitiua: non tamen ideò sequitur, Animas in homine plurificari.*

CONCLUSIO IV.

ANima Rationalis, cum reliquis Uniûs speciei; est æqualîs perfectionîs.

COROLLARIA.

I. *Nullum est fundamentum, nulla ratio adstruendi inæqualitatem Substantialem, inter Animas vniûs speciei.*

II. *Diuersa Capacitas naturalis in hominibus, non est ex diuersitate mentîs; sed ex diuersa dispositione corporîs.*

III. *Ex Corpore perfectiori, quod præparare sibi dicitur Animam perfectiorem, malè colligitur ipsiûs Animæ proportionata perfectio.*

IV. *Licet Una & eiusdem indiuidui Anima, nunc perfectiores operationes exerceat, nunc imperfectiores; tamen hînc non sequitur eam toties substantialitèr mutari: & sibi ipsi inæqualem esse, in perfectione Substantiali.*

V. *Anima Rationalis nec est intensibilis, nec extensibilis; ita à Deo in sui infusione limitata.*

Cui sit Honor & Gloria in æternum.

PERMISSU MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.